



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De famulis, qui serviunt, vel servierunt, paragraph. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

colendo, dictus successor non potest Conductorem expellere, donec annus, vel fructuum collectio finiatur, ne scilicet intempestive cum alterius damno abscondatur locatio.

4. Ex quibus colligo, idem debere dici, de omnibus similibus, vel dissimilibus successoribus, quia æquitas non patitur, ut Conductor, aliquo damno, dum bona fide in operas præcessit, afficiatur.

## CAPUT VII.

## Explicans illud descriptionis.

*Personam aliquam, vel seipsum.*

1. **H**æc pars descriptionis notat posse quempiam, vel seipsum, vel aliam personam, in quam quis Jus habet, v. gr. suum servum locare alteri promittere, si ve universale in omnibus, ut sunt famuli, qui sub pretio se exhibent ad serviendum in quacunque re Domino, si ve in aliquo peculiari opere, ut sunt Artifices, Coloni, Scientiarum Magistri, &c. De his ergo sub communi nomine famulatus nonnulla perstringam, nec solum ea, quæ strictè pertinent ad contractum locationis de quo loquimur, sed etiam (quando quidem adest hæc occasio) ad alia universaliter, quæ spectant ad famulos, & consequenter ad Dominos.

2. Ut autem ordinatim procedam. Primò, agam de famulis, qui juxta promissum, servant, seu servierunt. Secundò, de his qui promissionem violantes, non servant, cum possint. Tertio, de his, qui non servant, cum non possint.

## §. I.

*De Famulis, qui servant, seu servierunt.*

1. **I**s, qui debitum obsequium exhibent, vel exhibuerunt, deberi justum stipendium, quis ignorat? Sed quærenda sunt adhuc duo. Primò, quodnam est debitum obsequium? Secundò, quod est justum stipendium.

*Quodnam est debitum obsequium?*

2. Illud est, quod moraliter, & communiter in illo genere ab aliis exhiberi solet. Et quia illud habet latitudinem, juxta quam diligens, diligentior, diligentissimus famulus servire potest, satis erit, in gradu infimo, id est, ut famulus exhibeat diligentiam, necessario maximam, nec illam, quæ urgeat ad desidiam, idque præciso pacto majoris diligentiam, pro qua daretur majus stipendium, ut ex se patet.

3. Hinc fit Primò, ut si famulus prædictam diligentiam, saltem in infimo dicto gradu non servet, ex quo sequatur damnum aliquod Domino, fit, inquam, ut obligetur ad restitutionem damnorum, immò, propter paritatem rationis, etiam lucrorum, Domino inde cessantium. Verum hic maximè est notanda monitio alias sæpè tradita, a nimirum negligentiam, quæ in uno genere famulatus v. gr. in transferendis lignis, est levis, gravem esse transferendis vasis vitreis. Locum omnino recole.

4. Fit Secundo, ut si posita prædicta diligentia, famulus alias operas exerceat, lucraturque, possit hoc lucrum sibi acquirere, & retinere, quia, quando sese abdixit Domino, ejusmodi a se potestatem non abdicavit.

*Quodnam est stipendium justum?*

5. Justum autem stipendium habet summum, medium, & infimum gradum, estque illud, quo communiter in foro solent operæ, famulique talis ministerii conducere, & satisfacere Dominus, si (præscindendo ab aliquo justo pacto) det infimum, ut notat Bonacina, si petat, inquam, nam si tacet, videtur infimo contentus esse, atque adeò non potest, prætextu supremi debiti, compensare sibi usque ad summum.

6. Hæc ita in genere dicta rem exactè nequaquam definiunt; adhuc enim restat scrupulus, equodnam sit ejusmodi justum, licet infimum stipendium, præsertim, quia nesciri vix potest in tanta varietate operarum, & ministrorum, quodnam stipendium in foro, & communiter currat. Id ergò prudens, & expertus vir facile explicabitur, si quatuor expendat capita, quæ jam subdo.

7. Pri-

a Lib. 8. in  
Decal. Tr.

3. c. 5. §. 1. l.  
nu. 5. §. 1. l.  
c. 3. §. 7.

V. Depositi-  
tum, &  
iterum di-  
cam infra  
lib. 9. Tr. 7  
de Societ.  
c. 8. nu. 25.

b Bonc. l. c.  
b p. 4 nu. 3.

7. Primò, expendat, famulos interdum condonare defectum mercedis Domino ob quatuor potissimum subinde rationes, nempe Primò, quia ab ipsis Dominis sperant favorem & gratiam, immò etiam munera in Republica, & Beneficia; hæc enim sola spes est pretio æstimabilis, tamen si deinde nihil re ipsa acquiratur.

Secundò, quia obsequium est admodum exiguum, unde remanet ipsis locus, sive oriendi, sive alio modo lucrandi.

Tertiò, quia dum serviunt, aliquam artem addiscunt, ut sunt servientes artificibus, Professoribus Medicinæ, Musicæ, & similibus, quin aliquando ob sola alimenta victus, & non raro ne ob victum quidem, sed solum ob ejusmodi unum finem addiscendi famulantur.

Quartò denique, quia compensatur satis, superque merces ab honore officii. Sic aliqui Officiales in Civitatibus, quos Juratos Siculi appellamus, modicissimo stipendio fruuntur, licet maximis Reipublicæ occupationibus distendantur, eo scilicet honore contenti, pro quo adipiscendo, se passim multum se expendisse, etiam gloriantur.

8. Secundò, expendat vir prudens numerum famulari volentium, qui frequentissimus hodie solet esse; tanta enim famulorum copia valde diminuit de ipsorum mercede, quia tunc ultro se offerunt pro quocunque pretio; ultra tunc autem merces vilescere usque ad tertiam partem, immò aliquando etiam usque ad dimidiam, doceri à nonnullis diximus alibi, a & certe tunc vilis esse debere stipendium, mirum non est: sicuti in cæteris rebus venialibus, quando hæc abundant, usu venire solet.

9. Tertiò, expendat etiam necessitatem ipsorum famulorum, nam licet mera necessitas servi non debeat minuire pretium sui laboris; neque enim, si ego habeo necessitatem vendendi frumentum, præcisè ex hoc tu infra infimum pretium potes emere, nisi aliunde dictum pretium vilescat; tamen, quia, quando hac necessitate laborant multi servi, non inveniuntur Domini, qui majus pretium præbere velint, inde fit, ut stipendium tunc communiter currens in foro, sit minus, & consequenter hoc, quamvis vilis sit justum.

10. Quartò, est etiam perpendenda, ad

Justitiam stipendii cognoscendam, ipsa liberalitas Domini, qui non ratio ad suæ familiæ decus pertinere putat; si (ut Magni Principes contulerunt) plus suis famulis impertiant, quam eorum famulatus mercatur.

Atque ex hoc ultimo solvitur illa quaestio, An, si Dives Dominus det suo honorario famulo victum pro suo, & ordeum verbi gratia pro Equo, vel aliam victus portionem, quæ is honorarius famulus alium pro se famulum habeat ipse vero, nec equum, nec alium alar, possit sibi illud ordeum, & portionem illam reservare? Posse enim puto, non solum, quia ea non videntur dari, ut ille habeat equum, & famulum, sed, ut possit habere, & eorum defectus non redundat in damnum, seu dedecus Domini, sed solum ipsius honorarii famuli: quæ sunt rationes Magistrorum Salmanticensium approbantium hanc doctrinam apud Delugo, b verum etiam, quia ejusmodi Principes, ac divites Domini non ad justum stipendium, ut modo dixi, sed ad liberalem beneficentiam ea mensurant, quæ donant.

11. Quando non stat per famulum, ut serviat, sed per Dominum, qui nolit uti ejus opera, an debeat debere æquale stipendium, ac si serviret, dixi in superioribus e satis.

#### Famulorum expulsio.

12. Huc reducamus illam quaestionem. An sit aliqua causa, ex qua justè possit Dominus, ante finitum conventionis tempus, eicere servum famulari volentem?

Respondeo, Præcisè nonnullis legibus, quæ fortè alicubi vigent, de quibus Molina, c potest dimitti prædictus servus ex causa gravi superveniente, quæ in initio prævisa non fuit, ut ibidem docet Molina.

13. At, quæ nam est causa nova?

Respondeo, non solum esse gravissimam, ut, si Domini vitæ insidiaretur famulus, si furaretur bona Domini, si damnum eidem afferret, &c. Verum etiam, si famulatum notabiliter negligeret, ita ut adhiberet notabiliter minus infra infimum gradum ordinariæ diligentiae; quem in simili ministerio solent alii famuli communiter adhibere.

Ratio est, quia jure naturæ, & præcisè legibus positivis, vel peculiari pacto, talis videtur esse intentio contrahentium, ut sicuti Dominus

a Lib. 8. in  
Decal. c. 7.  
§ 4. m. 6.

b Delugo  
d. l. c. 2.  
in fine.

c Supra  
4. §. 1. m.

d Molina  
l. 1. c. 1.  
§ 106.

e h. e. l. 1.  
§. 1. c. 9.

minus dat bonum stipendium, ita bonum obsequium famulis præstare debeat, quod certe illud est, quod saltem infimum diligentia gradum attingit, modo, quo paulò ante n. 2. & 3. explicatum est. Ni ergo illum Famulus attingat, merito Dominus stare contractui, non obligabitur.

*Famulorum recessus.*

14. Huc etiam reducamus quæstionculam præcedenti affinem: an scilicet famuli, quando tempus serviendi non est ex pacto determinatè definitum, possint quandoocunque velint, à famulatu recedere?

Respondeo, posse absolutè, sed maximè tunc attendendum esse ad consuetudinem Regionis, qua famulus soleat, vel non soleat ad libitum à contractu recedere. Perpendendum etiam erit genus famulatus, nam aliquando ipsa res, in qua obsequium versari debet, ostendit, an ad annum, ad menses, ad dies, an etiam ad horas dumtaxat extendatur. Quibus consideratis, recedendi facultas, siue denegatur, siue concedatur a viro prudenti.

*Compensatio Famulorum.*

15. An Famulus, si justam mercedem illi deneger Dominus, possit, si alia via suum habendi non apparet, occultè sibi compensare?

Respondeo, posse, sicuti in similibus certum est. Verum valè cavendus ille scopolus, quo famulus immeritò putet, mercedem justam non habuisse.

16. Solet autem hic maximè quæri (& molestissimam esse difficultatem Confessariis, in hac decidenda, fatetur Rebell. a) an, quando famulus pro sua necessitate promittit operam Domino pro stipendio minori, quàm infimo, an, inquam, possit occultè sibi compensare, quod deest, usque ad justum infimum pretium: nam usque ad medium, vel summum jam diximus n. 5. non posse.

17. In hac difficultate ob duo capita regulariter non posse, judico, præter caput ductum à condonatione, quæ aliquando præsumitur, fieri à famulo, ut dictum est modo n. 7.

18. Nam Primò. Si eam necessitatem habet famulus famulandi huic Domino pro vili pretio, idè est, quia non invenit alium Do-

*Tamburinus de Sacramento.*

minum pro majori pretio; ad illum enim confugeret, si facile esset, illum invenire: si ergo non est facile, sequitur, vile pretium esse commune in foro, atque adèd justum: ergo excedit non poterit à servo. Id vidit Delugo, b qui sic habet: *Quare raro credendum in hac parte famulis obtinentibus defectum justis stipendii: Cur enim alium Dominum non quaerunt cum majori stipendio, vel non quaerunt, si invenire facile poterant? Si autem non poterant, non ergo fuit iniustum pretium, quo majus communitè non poterant invenire.*

19. Secundò, quia dum servus dicit, se vili mercede servire, decipit Dominum, qui regulariter in tanta multitudine servorum, qui hodie serviendo victum quaerunt, alium, eadem immò interdum minore mercede, inveniret; ergo servus cum sit causa talis damni Domino, refarcire debet: refarciet autem non petendo stipendium illud majus, quod alias, si Dominum non decepisset, habere justè potuisset.

20. In hoc secundo capite habeo contrarium prædictum Delugo: sed fusè, & ad evidentiam, ut mihi videtur, ejus rationes ego dissolvi per aliam occasionem, c quando de hac excusatione famulorum plurib<sup>9</sup> disserui. *de sacrif. Miss. l. 3. c.*

Dixi autem n. 19. (regulariter) quia, si servus, qui necessitate compulsus, se ob vilem mercedem locavit, verè invenisset majorem, non decepisset cum effectu Dominum, quia is nunquam invenisset servientem viliori pretio, atque adèd posset servus sibi compensare ex probabili sententia, quam ibidem explicuimus.

21. Huc etiam pertinet, quando servus, vel amicus exhibet aliqua obsequia, ad quæ non tenebatur: Quæritur enim, an hic possit sibi compensationem ex bonis Domini, vel amici facere? Et quidem, si gratis fecit, certum est, non posse; d nec enim semel donata potest quis, mutata voluntate, sine consensu ejus, qui recipit, sibi resumere. At si invitus, possit si nihil aliud addatur (dicendum est, e quia labori debet æqualis merces solvi, & nemo facile præsumitur condonare, cum condonatio sit donatio, quæ non præsumitur, nisi exprimitur.

21. Dixi tamen (si nihil aliud addatur) nam maximè cavendum est, ne Dominus vel amicus rationabiliter putet, gratis à te ea obsequia præstari, & sic tua culpa deceptus, cum po-

GGGG

tuisset

tuisset illa habere gratis ab alio, ipse ad nihil juxta dicta à n. 17. tenetur, & tu contra Justitiam compensationem attentas.

*Famulorum stipendium, quando committitur arbitrio Domini.*

23. Inquires Tertio. Si quis, serviret remittendo se sui Domini arbitrio, quantum esse debet justum stipendium, quod Dominus obligaretur solvere?

a Bonac. l. 1. n. 10.

Respondeo, esse illud, & quod communiter aliis solvi consuevit, consideratis tamen iis omnibus, quæ modo à n. 6. ut justum stipendium taxetur, consideravimus: in hoc enim sæpè falluntur famuli, qui remittunt se arbitrio Domini, & deinde mensurant absolute famulatum, non verò ex illis capitibus, puta sive ex condonatione, sive ex eo, quod in propria necessitate justum stipendium est satis vile, sive ex eo, quod decipiunt Dominum, sive ex ipse, quam à Domino concipiunt, &c.

*Stipendii famulatus descriptio.*

24. Inquires Quarto. Si, per annos aliquot, famulus non petat stipendium sui famulatus, potestne Dominus illud præscribere, ita, ut non obligetur amplius solvere?

25. Respondeo, ex jure communi posse: Si enim servus, cum possit petere, non petit suum creditum, & Dominus, qui non est requisitus à servo, bona fide debitum non solvit per triginta annos, jam vi præscriptionis non obligatur amplius prædictus Dominus.

26. Dixi per triginta annos, quia hæc est communis doctrina de præscriptione debitorum, ut videri potest breviter apud Delugo. b

b Delugo n. 7. de

Inf. n. 20.

27. Dixi rursus (de jure communi) nam in aliquibus regnis Triennium sufficere ex jure particulari, non ignoro. Consulatur ergo quilibet Regionis suæ municipalia jura, & quidem de jure Hispanico, quoad hanc præscriptionem stipendii servorum, vide fuse Thom. Hurtad. \*

c Th. Hurtad.

n. 8. moral. c. 2. à

n. 245.

*Solutio stipendii non requisita.*

28. Petrus Dominus probe novit, Paulum olim suum servum, anno v. g. superiore, sibi intervisse fideliter, non tamen habuisse sti-

pendium, & nunc, quando non est amplius ejus servus, vides, illum non petere. Inquires, an obligetur ipse Dominus non requisitus illud ei dare?

29. Respondeo, hanc quæstionem dissolvit idem Th. d. Hurtad. dicens, Dominum non teneri stipendium offerre, nec deferre famulo extra domum suam existenti, & non petenti (nam intra, semper tacite petit, seu expectat.) Ratio est, (inquit) quia dum servus sciens sibi deberi mercedem non petit (addo tamen tanquam omnino necessarium, cum possit, nec ob timorem Domini, vel quid simile retrahatur) Dominus merito cogitabit, servum velle dictum stipendium donare, seu relaxare; id quod Hurtadus confirmat ex aliis Doctoribus, qui, & in Gabellis, & in legatis idem dicunt, ut scilicet, quando à Gabellariis, & à Legatariis scientibus sua credita, & petere valentibus, ea non petuntur, non sit obligatio illa offerendi.

*Auctus servitiis, augendum pretium, famuli.*

30. Si famulus tuæ familiæ obsequio se obligavit pretio certo, sed deinde augetur familiæ numerus, debetne augeri pretium? Idem quæri potest de quocunque incremento laborum in serviendo?

Respondeo, cum necessaria distinctione: Si parum augetur de labore, non esse pretium augendum, si multum labor augeatur, etiam proportionaliter augendam mercedem. Ratio est, quia pro parvo augmento involuitur consensus implicitus, pro valde magno, non item. Idem dic in Medico, si se obligavit ad inserviendum Monasterio, Seminario, Familiæ, &c. quando pari modo augetur personarum inserviendarum, ut notat Corradus. e Notentur tamen dicta n. 27.

31. Quod si in pretio statuendo, habita est ratio singulorum, ut quando conventum fuit 88. denariis, pro inserviendo singulis, tantum pretii, 37. denariis certe, si crescat numerus personarum, debere, 14. q. 1. & crescere pretium sic taxatum, dubium esse non potest.

32. Quid, si quis se conduxit certo pretio ad ædificium v. g. faciendum, & deinde apparet, notabilem auctum fuisse laborem, immodicam & auctas expensas, quas sibi faber assumpsit faciendas?

Re-

Respondet *n* Bonacina, debere augeri, & stipendium. Verum non semper id admittam in praxi, quia solet, in his conventionibus sine fraude initis, admisceri periculum æquale ex utraque parte contrahentium, nam aliquando ædificium, vel simile quippiam absolvitur paucioribus, aliquando pluribus expensis: ergo est æquale periculum pro utraque parte. Profectò idem Bonacina ibidem docet, non debere stipendium illi, qui se obligavit, ad transferendas cum navigio merces alterius, putans se aliquibus diebus posse iter absolvere, sed postea ventorum adversantium causa, multo pluribus absolvit; id, inquam, docet, quia poterat etiam ventorum favore multo paucioribus. At simile, quid etiam evenire poterit in casibus aliis

33. Si Mercator promisit pretium Gubernatori Navis, ut merces v. g. ad Indos, vel alium locum transvehere, sed medio confecto itinere, ob reluctantes ventos reversa est Navis in Portum, unde discesserat, quale pretium esse debebit, conventumne, an aliud minus?

34. Respondeo, de hoc peculiari casu pluribus disputant Molina, *b* aliique, quos ad nos enim monent famuli à promisso famulatu deficientes, ut ipsos non deseramus.

*Stipendium datum Famulo in damnum  
Creditorum Domini.*

35. Denique, si Dominus Famulo stipendium solvens fiat impotens ad solvenda ea, quæ hic Dominus debet suis creditoribus, potestne licitè illud acceptare Famulus? Immo, si hanc impotentiam prævideat idem Famulus, poteritne illius obsequii se abdicere?

36. Respondeo. Bonacina *c* breviter sic docet. Famuli inservientes alicui Domino, quem sciunt fieri impotentem ad restituendum Creditoribus, non possunt aliquid ab eo accipere, aut acceptum retinere, nisi fortè tantumdem Domino acquisierunt in serviendo: Propterea consulendum est hujusmodi famulis, ut discedant. Ita Valentia, Aragonius, Navarrus, Molina, aliique. Horum sententiam limitarem cum Valquez, modo Dominus illis, non indigeat, ita ut sine illis vivere non possit absque magno dedecore, juxta qualitatem, & conditionem personæ. Nam si hoc modo illis indigeat, existimo, eos pos-

se sui famularus stipendium accipere: Sicut enim Dominus excusatur ob suum tantum incommodum, ita famulus. Hinc patet à fortiori, Medicum, Pharmacopolam, & alios præbentes necessaria infirmo, qui non est creditoribus solvendo, posse ob prædictam rationem pretium accipere. Ita Vasqu. Hæc Bonac.

37. Quibus ego aliam limitationem adderem, seu declarationem: Nam ut famulo non liceat stipendium à Domino acceptare, vel illius obsequio se abdicere, debet ei constare, Dominum impotentem sic reddi ad satisfaciendum suis creditoribus; constare, inquam, saltem certitudine morali; non enim præsumendum est, delictum committi, (quale certè à Domino, se volente inhabilem reddere, committeretur) nisi de eo constet: Cum ergo Famulus nesciat plerumque, nec scire possit potentiam, vel impotentiam Domini, facile excusari poterit à peccato, &c.

## §. II.

*Famuli, qui non serviunt, cum  
possint.*

1. PRO tempore, quo Famulus, cum possit, non servit, jam scimus non debere ipsum accipere mercedem, eandemque ei negari meritò posse à Domino. Sed quid pro tempore, quo servivit? potestne aliquando ei negari merces eo prætextu, quod nunc ipse non prosequatur famulatum promissum?

2. Respondeo, non posse absolutè negari, quicquid dicat cum Silvestro *d* Azor, putans *d* Silv. *A* posse aliquid arbitrio boni viri detrahi. Ratio nostræ doctrinæ est, quia operarius dignus est *c* 39. q. 6. conventa mercede pro tempore, quo operatur. Si ergo aliquando operatus est, sua mercede pro illo tempore defraudandus non erit.

3. Dixi, *Absolutè*, nam si ob recessum famuli, nolentis servire, aliquod lucrum Domino cesset, vel damnum emergat, potest Dominus tantum de mercede præteriti famulatus retinere, quantum ea damna compensentur; tunc enim famulus injusta causa est jacturæ Domini.

4. Hinc Rusticus, qui se locavit pro toto anno, transacta autem hyeme, recedit, invito Domino, à famulatu, ut æstivo tempore ali-

Gggg 2 bi, ma-